

# Veni redemptor gentium

Satz: nach Johann Crüger 1640

S/A

1. Ve - ni red-emp-tor gen - ti - um o - sten-de par-tum vir - gi - nis

T/B

mi - re - tur om - ne sae - cu - lum ta - lis de - cet par - tus de - o.

2. Non ex virili semine /  
sed mystico spiramine /  
verbum dei factum est caro /  
fructusque ventris floruit.

5. Egressus eius a patre /  
regressus eius ad patrem /  
excursus usque ad inferos /  
recursus ad sedem dei.

8. Sit Christe rex piissime /  
tibi Patrique gloria /  
cum Spiritu Paraclito /  
in sempiterna saecula.

3. Alvus tumescit virginis /  
claustrum pudoris permanet /  
vexilla virtutum micant /  
versatur in templo deus.

6. Aequalis aeterno patri /  
carnis tropaeo accingere /  
infirma nostri corporis /  
virtute firmans perpeti.

4. Procedat e thalamo suo /  
pudoris aula regia /  
geminæ gigas substantiae /  
alacris occurrat viam.

7. Praesepe iam fulget tuum /  
lumenque nox spirat novum /  
quod nulla nox interpolet /  
fideque iugi luceat.

*Text:* Ambrosius von Mailand um 386. – *Melodie:* Einsiedeln 12. Jh. – *Satz:* Burkard Rosenberger nach Johann Crüger, *Newes vollk mliches Gesangbuch* (1640), Nr. 7. Bei Cr ger sind lediglich der Cantus firmus sowie der (unvollst ndig bezifferte) Bass  berliefert. F r die vorliegende Ausgabe wurden deshalb die Bezifferung vervollst ndigt und die Mittelstimmen erg nzt. – Die im Text kursiv gestellten Buchstaben/Silben (Str. 2, 4, 5 und 6) werden beim Rezitieren und Singen ausgelassen.